

L V G D V N I ,
EX TYPOGRAPHIA
THEOBALDI ANCELIN.
M. D. LXXXI I I I .

C O N C I O
HABITA AD CA-
PITVLVM GENERA-
LE SACRI ORDINIS
Cartusiensis, hoc
anno 1584.

Per V. P. D. Stephanum de Salazar Priorem
Cartusiarum defensionis beatae Mariæ, prope
urbem inclytam Xericum
S. Theol. D.

Qua potissimum explicat inter omnia religionis vota, principē locū habere obedientiam: qua veluti genere, cetera clauduntur. Stabilitatem preterea etiam corum qui eam ad certum & designatum locum profitentur Ordinis esse, non loci: quod intelligenda sit salua semper obedientia. Votum etiā conuersionis morum, nihil esse aliud, quam regularem obseruantiam. Quo pariter pacto per contemptum, & neglectum tendendi in perfectionem, regulares peccant mortaliter. Agit tandem serio, de reuocanda recta voculandi & proferendi ratione, in cantibus Ecclesiasticis & officio diuino.



L V G D V N I ,
APVD THEOBALDV M ANCELIN.

M. D. LXXXI I I I .

Cum Superiorum licentia.


C O N C I O
HABITA AD CA-
PITVLVM GENERA-
LE SACRI ORDINIS
Cartusiensis, hoc
anno 1584.

Per V. P. D. Stephanum de Salazar Priorem
Cartusia defensionis beatæ Mariæ, prope
vrbem inclytam Xericum
S. Theol. D.

Qua potissimum explicat inter omnia religionis vota, principē locū habere obediētiā: qua veluti genere, cetera clauduntur. Stabilitatem preterea etiam corum qui eam ad certuā & designatum locum profitentur Ordinis esse, non loci: quod intelligenda sit salua semper obedientia. Votum etiā conuersationis morum, nihil esse aliud, quam regularem obseruantiam. Quo pariter pacto per contemptum, & neglectum tendendi in perfectionem, regulares peccant mortaliter. Agit tandem serio, de reuocanda recta voculandi & proferendi ratione, in cantibus Ecclesiasticis & officio diuino.



L V G D V N I,
A PVD THEOBALDV M ANCELIN.
M. D. LXXXI ILL.
Cum Superiorum licentia.



CONCIO HABITA
AD CAPITVLUM GENE-
RALE SACRI ORDINIS
Cartusiensis, hoc anno
1584.

Obedite præpositis vestris & subiacete eis, ipsi
enim peruigilant, quasi rationem pro animabus
vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant
nongementes, hoc enim non expedit vobis:
Hebraeorum ultimo:



Ix dici queat (Anti-
stes optime & pientissime:) Quem vene-
rada senectus, vita in-
nocentissime acta, singu-
laris eruditio, insi-
gnis quædam morum
& vitæ moderatio, multarum & maxi-
marum rerum usus & experientia, resp.
tandem hæc nostra Cartusiana ratione,
modo, cōsilio, & prudentia hactenùs fæ-

licissimè gesta & administrata : in summum usque gloriae fastigium euenient. Patres Deo consecrati atque conscripti, virtute insignes, & doctrina celebres, officio diuini gregis pastores, & quidem gregis opimi & selectissimi, nepe Cartusiani. Vix inquam dici queat , quam latè pateat campus , in quem hoc loco diuinus sermo orationem inclinat: si par effet oratori dicendi vis, copia atque facultas. Cæterum qui maioribus hostijs inter antiquos sacrificare non poterant, farre tosto, & mola falsa : litare erant soliti. Hac enim perycope Paulus amplectitur, quicquid tot æditis voluminibus, siue Xenophon , siue Plato , siue Zenon, siue Aristoteles, siue alij præclarri auctores: de recte administrandi temp. ratione in medium contulerunt. Addidit autem Christianam politiam & œconomiam, qua vna tractatione: vniuersa pariter omnium mortalium ac temporum ingenia superat, quæ Euangelica luce caruerunt. Docet quippè rerum publicarum præfectis , obedientiam & reuerentiam à minoribus esse præstandam. Et contrà, eos qui ad reipublicæ clauum sedent, & populi remos impellunt, & habenas moderan-

derantur: oportere per vigili cura, atque indefesso labore, morum reformationi, animarum saluti, spiritualibus lucris accessionibus & incrementis: perpetuò operā dare, & incumbere. Nullam igitur faciam temporis versuram, sed in hāc breuem summam, tanquam in præcipua capitula benè gerendiremp. quicquid dicturus sum contraham, & continentis ac perpetuæ orationis nostræ ductum componam. Tantum supereft, vt adsitis æ quo animo attentiatque benigni (patres amplissimi:) & vt ad rem tātam pro dignitate, & pro ingeniorum vestrorum splendore & elegantia, & pro cultissimi huius vestri confessus grauitate & amplitudine pertractādā, diuini Spiritus illapsum & cœlestia prefidia: ope diuæ Virginis Theotochi , suppliciter imploremus.

A V E M A R I A.

QVI neglecta verborum pōpa splendore & apparatu, nudam ipsam veritatem amplexi, abiecto omni fuco, & metreticiis ornamenti, sinceram ipius pulchritudinem cōtemplati sunt (auditores grauissimi:) quales fermè iij esse solent, quos vulgus Theologos Scholasticos appellauit, imperiti forsitan sermo-

A 3

ne: sed non scientia. Eos affirmant, qui Religionis statum votis nuncupatis solenniter profitetur, quos vniuersos uno nomine, sacra Tridentina Synodus, Regulares appellauit: & si diuersa habeant instituta diuersis ceramoniis, ritibus, & externis cultibus vrantur, diuersosque sibi proponant peculiares fines: alij anachoresim & ascetismum, alij militiam, alij obsequia & curationes pauperum, alij institutionem & eruditionem populi Christiani, alij casu aut bello, captoru redemptionem: atque alij alia id genus multa præclara profecto Christianæ pietatis studia: vniuersos tamen iunctis vmbonibus & communis calculo contendere, eundem charitatis scopum collimare. Sicut scriptum est. Finis præcepti charitas, de corde puro &c. Itaque trahentes quidem multi, sed meta una: in quam regiae omnes haec viæ & itinera confluent. Vniuersis commune est, tribus votis solemnititer emissis, non aliter ac tribus adamatinis & trabalibus clavis fese cruci Religionis adfigere. Commentamur autem & sermonem in plementarum, instituimus no[n] de Religione quæ virtus & pars est iustitiae, qua Deum debito honore, cul-

tu

tu, & seruitute colimus, sed de Religione quæ status proficientium est, & tendentium ad perfectionem. Inter haec autem vota tria quæ pientissime & religiosissime emittuntur, et si miseri haeretici medij crepant atque rumpantur, & ex aduerso cornicentur, cum diuinorum litterarum testimoniis, sanctorum præterea Conciliorum decretis, & clarissimis sanctorum patrum suffragiis probentur. Matth: 19. Lucæ. 9. 1. ad Timoth. 5. Deuteronom. 23. Ecclesiastes. 5. Psal. 15. Isai. 75. Facit Concilium Nicenum primum, ab Eugenio Pontifice citatum in c. placuit *el primo.* 16. q. 1. Calcedonense canone. 16. ab Alexandro secundo relatum in c. iuxta eadem causa & q. Toletanum secundum c. 1. & 4. c. 26. Tarragonense à Gratiano relatum. 16. q. 1. Agathense. c. 9. Arelatense. 3. c. 2. Carthaginense. 4. c. 104. Turonense. 2. c. 21. Tridenti. ses. 14. c. 9. nec opus est sanctorum patrum sententias referre, aut loca designare & vrgere: remittimus vos ad Roffensem Castrensem, Turrianum, Eckium, Bunderium, Canifium & alios: qui Enchyridia & locos communes aduersus nostri temporis haereticos, elegatissime conscripserunt.

Inter

Inter tria ergo illa vota quæ piè & religiose concipiuntur, omnium maximum atque potissimum est obediētiæ votum, quo cetera, ceu genere clauduntur. Nam continentia corpus, paupertas voluntaria opes: obedientia verò mentem, nēpe voluntatem & libertatem Deo consecrat: qua vna re nihil preciosius, nihil dignius, nihil quod magis sui esset iuris: Deus opt. Max. inter naturalia mortali- bus concessit.

Obedientia nāque solenni voto concepta, voluntariam paupertatem, stabilitatem, morum conuersationem & continentiam amplectitur. Vsque adeò, vt rātundem pollicentur, qui solam & nudam obedientiam solenniter spondent & profitentur: ac illi, qui aperiè votis nūcupatis, quatuor alia promittunt. Hoc tantum interest, quòd ij apertè & explicite, illi vero tacite & implicitè, omnia illa pollicentur. Quam sententiam omnium approbatione & consensu tenet Thom. 2.2.q.186.ar.8. Innocentius in cap. porrectum, de regularibus. Panorm. eodem loci num. 3. Trullus lib.1.de ordine Canonicorum regularium. c.17. Nauar- rus in cap. non dicatis 12. q. 1. & in com- men-

mentario de voto paupertatis in cap. sta- tuimus 19. q. 3. num. 19. Stabilitas enim obedientiæ voto comprehensa, ordinis est, nō loci: aut loci, salua tamen obediētia, etiā eorū, qui voto peculiari stabili- tatem inde signato loco & monasterio pollicentur. Quemadmodum nostri cō- uerſi Cartusienses, & canonici Regula- res. Iuxta leges paternas, & maiorum instituta atque sanctiones. Nam alia ra- tione non possent superiorum authori- tate, ex uno ad alium locum transferri: etiam iustis de causis. Cum clarissimi au- tores dubitent, an in voto, solenni, pos- sit ipse summus & Romanus Pontifex dispensare. Atque ea ratione conciliari possunt autores, qui diuersa hac de re sensisse iudicantur. Quod autem stabili- tatis votum, etiam loci designati: ita sit intelligendum, tenent. Antoninus 3. p. t.16.cap.1.§.7. Abbas Smaragdus in c. 58. regulæ. D. Benedicti. Cardinal. de Tur- recremata in commentario eiusdem. ca. 58. tractatu 127. in regulam D. Benedicti. Ioannes Dominicus, Cardinalis Cuffa- nus. Bernardus Abbas Cassinas lib. de iis ad quę professione obligatur monachus, ca.1.& 2. Trullus lib.2.de ordine canoni-

corum regularium cap. 14. & lib. 1. c. 28. Petrus de sancto Andomaro lib. 3. de institutionibus monasticis iuxta sancti concilij Tridentini decreta. Nauarrus in cap. nō dicatis. 12. q. 1. & in commentario de voto paupertatis in cap. statuimus. 19. q. 3. nū. 29. Habebit igitur principatum inter cetera vota obedientia, cuius actiones propinquiores sunt Religionis fini & scopo, eiusque essentiae magis consentaneæ & intimæ. Neque enim eum qui voluntariam paupertatem & continentiam etiam voto concepto promiserit, bene quispiam religiosum vocauerit: nisi fuerit pollicitus obedientiam, quæ virginitati præfertur, etiam voto confirmatæ. Iuxta illud August. lib. de virg. cap. 46. Nemo quantum puto, ausus fuerit virginitatem præferre monasterio. Cum igitur tanti habenda sit obedientia, iure optimo Theologis placet, ultra communia illa vincula omnium Christianorū, qualia sunt Ecclesiæ & Decalogi præcepta, & tria vota monastica, quibus religiosi sponte astringuntur, & maiorum ac legum suarum præcepta: ad duo alia teneri sub poena peccati mortalis, quæ vnicuique nostrum (patres amplissimi)

sem

semper sunt præ oculis habenda. Alterum est non contemnere perfectionis accessionem & incrementum: hoc est nititi & tendere in perfectionem: Alterum vero, non contemnere leges paternas, sed ut veros decet Rechabitas, pro eis asserendis, & tuenda maiorum gloria: si res ita postulet, fortiter oppetere. Non est illa hac in re difficultas, nam contemnere perfectionis accessionem & incrementum, nihil est aliud quam nolle subiecti legum & maiorum decretis. Et contra, nolle subiecti legum & maiorum decretis, nihil est aliud, quam contemnere perfectionis accessionem & incrementum. Cum igitur vtrunque peccatum ortum habeat ex contemptu, & hi duo contemptus mutuo se ferant: exploratum est, sartatecta & integra manere omnia: si adsit obedientia atque animus sincerè cädidus, suis & præfectis & legibus subiectus. Nec enim alia ratione nobis ad perfectionis decus properandum est, quam ea: quæ iam olim suis statutis & legibus, à sanctis patribus nobis est constituta. Itaque morum conuersio, nihil est aliud, quam obseruantia regularis, & vita, iuxta sanctorum patrum placitain-

B 2

stituta. Quā qui in extērnis tātūm cultibus & cāremoniis, & non magis in intīma sui ipsius nihili pēsione , abnegatiōne, resignatiōe odio, abdicatione, & abstractiōe animi, à rerū visibiliū & extērnarum vmbbris censet sitam esse & collocatam: infans est, & imperitus, nesciēs quę loquitur, neque de quibus affirmat. Animaduertendum tamen est , quod transgressionum multitudo & frequētia, non parit contemptum : (vt sunt authores grauissimi vterque Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. Possunt siquidem maiorum placita & mandata , aut imbecillitate , aut libidine, aut quavis mala alia cupiditatē violari : salua semper animi subiectiōne & obedientia , qua homo compertum habet sanctas profectō esse sanctorum patrum institutiones & leges, quas ipse ex animo vellet prāstare , et si suis cupiditatibus viētus: non nunquam oneri cedat, atque succumbat. Nihiloseciūs tamen, in maximo contēmendi periculo versantur , qui crebris suarum legum transgressionibus affluescunt. Nam vt vulgō dici solet , nimia familiaritas parit contemptum. Quamobrem non est mihi comperendinandum in hac parte,

(audi

(auditores grauissimi) neque tempus inaniter conterendum : vt diuinarum literarum testimoniis demonstrem & exemplis, quantūm aliis virtutibus prāstet obedientia , & quām grauiter rebelles & refractarios mortales , nec facile suis placitis obsequētes, Deus vltus fuerit. Dicā in compendio. Omnia earum religionū summa atque perfectiō, quas factitias diuus Bernardus appellauit: vno obedientiæ vinculo continetur. Quam in rebus etiam minimis exhibere oportet magistratibus , si saluam atque florētem rem pub. nostram esse cupimus. Quapropter non est paruipendēdū (viri ornatissimi) quōd sint inter nostreates quidam vsque adeō morosi & refractarij , vt postquām bis iām in comitiis generalibus publica authoritate, cōmuni consensu & calculo decretum est, vt abrogata antiqua pronuntiandi lege vt nimium obsoleta & rudi: & rectā vocalationē, idest, syllabarum quātitatem, & proferēdi rationem sequeremur , priuata ipsi authoritate, nihil neque maioribus, neque rationi, neque æquitati deferentes : mendacium pro veritate, pro luce tenebras mordicūs retinere contē-

B 3

dunt. Atque hi quidem videri volūt antiquitatis & Religionis assertores : quibus ego facile & perspicuè ostendero, in primis eos esse obedientiæ : hoc est summæ & præstantissimæ virtutis violatores. Deinde, multis iustisque de causis religiosissimos patres, qui his annis superioribus comitiis generalibus interfuerūt: huiusmodi nimium priscam proferendi cōsuetudinem antiquâsse. Quādiu enim maioribus nostris visum est, vt priscam illam nimium & obsoletam pronunciandi rationem sequeremur: humiliter fuit illis obsecundandum. Est enim nonnunquam piè, cæca obedientia: à sanctis patribus vehementer commenda. Quæ rerum discretionem & proprium iudicium abdicat atque resignat, nec ea agredi formidat, quæ etiam naturæ ipsius facultatem & vires excedūt: si præcipiantur. Hinc illæ ingentium faxorum conuulsiones, arborum iam olim stirpitùs conuulsarum plantationes, & irrigationes, herbarum hortensium contrariæ sationes, vt radices sursùm, frondes deorsum collocatae, terræ mandarētur, à patribus suis discipulis præceptæ. Non igitur aut vana, aut ociosa, aut stulta

ta iudicamus, præclara hęc piorū hominū studia, quæ & à Ioāne Cassiano lib.4. de institu. monast. cap. 10. & c. 24. & collat. 2. cap. 11. & collat. 4. cap. 20. vehementer laudata sunt. Hanc enim proprij iudicij abnegationem & renuntiationem propter obedientiam, Deum habere gratam: ostendit Grego. in librum Regum primum, lib. 2. cap. 5. & Bernar. vbiue, sed maximè sermone de tribus ordinibus Ecclesiæ: & sermone ad milites templi. c. 13. & sermone de fructibus obedientiæ & eius gradibus. In hanc classem referamus, quam hactenùs habuimus laudabilem profectò patrum consuetudinem, qui cum nec essent bonarum literarum expertes, nec Grammaticalium rudimentorum ignari: priscam tamen illam barbariem, & nimiam superioris seculi ignorantiam, quam simul cum Romanii imperij inclinatione Latina lingua tulit, exterarum gentium crebris inuasionibus è stirpe fermè euersa & excissa: propter obedientiam tamen, æquo animo tulerunt. At postquam nostra ærate literæ refloruerunt, & puellis etiam ipsis primas Grammatices rationes addiscenibus, redditæ sunt ridiculę barbaræ illę,

& rancidæ prolationes , placuitque patribus lucem ipsam & veritatem amplecti , quid opus est repugnare , aut quid aliud est hac in parte tenacem esse propositi,quam manifestam animi duritiem & obstinationem præseferre & indicare, ex qua non alium speres exitum , quam quem est sortitus Asceta ille Hieron, cuius meminit Cassianus , collat. de discretione quæ magno Antonio tributa est. Scio equidem Origenem Homil. 3. in cantica, Grammaticorum superstitionem damnasse. Gregorium etiam in epistola ad Leandrum scripsisse, verba cœlestis oraculi non esse subijcienda regulis Donati & August. tractatu. 2. in Ioanem , in illa verba , *Qui non ex sanguibus, &c.* est enim Græcismus : Latinè námque sanguines pluraliter non dicimus:) dixisse, non esse formidandas feruleas Grammaticorum : addidit tamen grauiter & verè : Dum tamen ad veritatem solidam & certiorem perueniamus. Quod ad ambiguities repellendas aliquando licere, idem est author lib. 3. de doctr. Christiana. &c. 4. cap. 10. & in Psalm. 138. in illa verba : *Non est occultatum os meum a te.* Quò loci, ad expungendam di-

ctionis

ctionis ambiguitatem, pro osse : quidam ossum legere erant soliti. Nec me latet sacrum illum ac diuinū virum Spyridonem, Trimituntis Cyprię memorabilem Episcopum:(quem nos priuatim pro Diuō tutelari & patrono colimus , quòd in sacris eius feriis : nempe die. 12. Decembris, in hanc lucem editi simus.) Triphilium Ledrensem Episcopum , virum facundia & doctrina clarissimum , orationem ad Christianorum conuentum publicè habentem: publicè etiam correxisse: Cum ille pro grabato , lectulum , siue cubile dixisset , versans illud Euangeliū Tolle grabatum tuum & ambula. Non inquit tu es melior eo qui dixit, tolle grabatum tuum & ambula. Hac enim orationis interruptione est usus , (vt author est Sozomenus lib. i. hist. tripar. cap. 10. & Nicephorus lib. 8. eccl. hist. cap. 42. vt hominis fastum , & turgidæ & lascivientis orationis faleras , & impetum coerceret atque contunderet: non quod affectatæ verborum sordes, damnatæ atque prostratæ , viro sanctissimo cordie esse possent.

Nam patres iure & maximo cum delectu, legitimam , germanam atque pro-

C

batam pronuntiandi consuetudinem in
vsum reuocasse: multis rationibus ostendit
potest. In primis ex legis natura, quæ
nihil est aliud: quæ rationis ordinatio
atq; præceptio. Ut eleganter dicit D. Tho.
12. quæst. 90. art. 4. Non videtur autem ra-
tioni cōsentaneum, quod si per imperi-
tiam & ruditatem, leges aliquæ sanctæ
sunt: discus iam illa ignoratiæ caligine,
& cognita veritate: propter antiquitatis
reuerentiam mēdaciūm retineatur. Præ-
sertim cum ratio prolationis atque pro-
sodiae, quam Patres reuocant: multò ea
quæ haētenūs seruauimus sit anti-
quior: ut ex classicis & principibus Latini-
æ linguae authoribus constat. Et ratio
priscarum legum ea fuerit, quod veram
se & probatam syllabarum quantitatem
& pronunciationem affecutos, earum
conditores existimauerint. Quod nunc
longè aliter se habere, omnium gētium
& mortalium consensu, consuetudine &
vso: exploratum est. Non est igitur hu-
iusmodi sententia vetustatis veneratio,
sed animi pertinacia & obstinatio. Erit
enim lex, inquit Isido. lib. 5. Ethimo. cap.
21. honesta, iusta, possibilis: secundūm
naturam, secundūm patriæ consuetudi-
nem,

nem, loco, temporique cōueniens. Quo
testimonio ad probandas legis optimè
& benè constitutæ conditiones, vtitur
Gratianus in c. erit autē lex. dist. 5. Dein-
de quod huiusmodi consuetudines &
leges, quæ aduersus apertam veritatem
nituntur: ipso iure abrogentur. In cap.
Mala. & c. Frustra. d. 8. l. Minimè. l. Nulla
ff. de legibus. c. Cum dilectus de consue-
tudine. Quapropter iam olim prisca illa
& obsoleta pronuntiatio, desierat apud
Cartusienses Germanos: desierat apud
Italos, nutabat apud Hispanos & Gallo-
s: nec quicquam aliud supererat, quæ
ut publica autoritate legitimè apud om-
nes defineret. Si nunc ab orco reuocare-
mus Siticines Marci Catonis, quos se
ignorare ingenuè Cælius Vindex in
Commentariis lectionum antiquarum
fassus est: & in coniectaneis Ateus Ca-
pito per coniecturam, nimium prisci il-
lius vocabuli significationem affecitus
creditur: nonne essemus meritò ridiculi?
Publius Lauinius Varronē sordidè scul-
mam, pro sequestro dixisse ait: ridet Ci-
cero Catonem in originibus, verrucam
pro monte surpantem: & in lib. de ora-
tore, lepidè eos qui iam olim desita vo-

cabula usurpabant, verrucosos oratores appellauit: Quo allusit Persius, inquiēs. Si quos verrucosa moretur Antyopa. Quamobrem doctē profectō & grauiter Phauorinus apud Gellium lib. i. noctium Atticarum. cap. 10. adolescentem veterū verborum nimis cupidum , sic allocutus traditur. Curius atque Fabricius & Titus Verruncanus, viri antiquissimi , & his antiquiores Horatij illi trigemini. planē ac dilucidē cum suis fabulatis sunt: neque Auruncorum, aut Sycanorum aut Aboriginū qui primi incoluisse Italiam dicūtur, sed ætatis suæ verbis sunt vñi: tu autem perinde ac si cum Carmensa Euādri matre sermonem conferres, sermone multis ab hinc annis desito vteris. Si antiquitatem tibi placere ais , viue moribus antiquis, loquere verbis presentibus idest his, quæ in omnium vñi & ore versentur. Sermone quippè (vt eleganter dixit Fabius:) vtendum est vt numo, cui publica forma sit. Repugnare igitur hac in re , nihil est aliud quam delectari praua consuetudine. Nam quemadmodum ægroti, si compellantur abstinere à cibis qui eos delectant , ægrè ferunt , etiam si eis noceant: sic etiam multi , (vt Author

est

est Aristoteles. 1. lib. Rhetorices ad Theode&tem. cap. ii. & se&t. 18. problem. q. i.) si cogantur inueteratas suas cōsuetudines relinquere molestè ferunt: etsi sint præter rationem & noxiæ. Quod vt arbitror nō ineptè ab eo. 2.lib. sublimioris sapientia. cap. 3. his verbis pronuntiatum est. Auscultationes, inquit, secundū consuetudinem accidunt: quemadmodum enim consueuimus , ita iudicamus dici debere: & quæ præter hæc , non apparent similia. Quantam verò vim habeat consuetudo , leges indicant: in quibus fabulosa & puerilia plus possunt propter cōsuetudinem. Hæc ille. Nec debet quemadmodum eleganter ab Innocentio. 3. Pontifice sanctissimo & eruditissimo dictum est in ca. Non debet, de consanguini. & affi.) reprehensibile iudicari: si iuxta varietatem temporum, statuta quoque varientur humana. Facit textus in. c. finali de transactioni. in cap. Super eo, desent. excommunicat in ca. Sciendum d. 12. in. cap. Erit autem. dist. 5. in c. Quis ignoret & in ca. Obiicitur 32. q. 4. in cap. Occidit. 33. q. 8. Maximè in prolatione & accentu, cùm docte à prophano quodam vate dictum sit. Mortalia facta peribunt

C 3

Hierony.
in prefatio
ne Iiob. Tz
ta est enim
retuſtæis
cōſuetudo,
vt etiam
confessa ple
risque ri
tiaplaſciat.

nendum ut sermonum sitet honos & gratia viuax.

*Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula: si volet ysus,
Quæ penes arbitrii est, & vis, & norma loquendi.
Antiquauit tēpus nōnullas ex priscis illis
atque sanctissimis Guigonis consuetudinibus, multa tempori, multa nostræ imbecillitati data sunt, redimus ad lectulos post horas matutinas, ieunia in pane & aqua partim abrogata sunt, induimur vestibus delicatis & mollibus, antiquatæ sunt recordationes & confessiones post prandium: & nunc tanquam pro aris & focis, pugnabimus pro afferendo & retinendo mendacio? Aut loco mouebimus nostra obstinatione, aut pertinacia, aut authoritate, aut cōfilio: quod Reuerendiss. Patri, & Capitulo generali placuit, maturè placuit, & iure & cū delectu placuit? Quid est quod Paulus tam seriò admonet, inquiens, omnia rectè & secundùm ordinem fiant in vobis? Et iterum, Vnusquisque vestrum Psalmum habet, Apocalypsim habet, reuelationem habet? Quid est quod in Psalmis legimus? Psallite Maschil, id est, doctè, vel ut noster vertit interpres, Sapienter?*

Quid

Quid est quod D. Hieronymus pro obtainenda & addiscenda recta linguae sanctæ prolatione, dentes serra sibi moliri & aptari passus est? Quid est quod in celebri illa ducis Iephete victoria, occupato Iordan, male pereunt Ephrathei: qui pro Syboleth. i. fluminis cursu atque defluxu per Sim: Zibolet, per Zamath male proferunt? An parum vobis videtur (viri grauissimi) cōsultò, data opera & ex professo, inconcinnè & perperam diuinæ laudes proferre & pronunciare? Ego sic statuo: eos qui à viris doctis semel sunt admoniti de recta prouinciatione, nec cā in diuinis cantilenis & laudibus volunt præstare, si id faciant ex negligentia, aut inueterata consuetudine, peccare quidem venialiter: si verò ex contemptu mortaliter. Nam turbant auditores, & scandalò sunt pusilli, & quātùm in ipsis est: cantus Ecclesiasticos suis nimium rācidis prolationibus, auditoribus ridiculos faciunt, & nebulonibus ridicēdos propinan. Quibus se olim vehementer affectum, fatetur in confessionibus Augustinus. Quæ rationes, adeò graues & solidæ doctori Martino Azpilquetæ Nauarro viro doctissimo, visæ sunt: ut hanc

planè

planè sententiam, ipse omnium approbatione confirmatam, non sit veritus assertere, in repetitione cap. Quando, de consecrat. d. i. notabili. 16. a. nu. 9. vsque ad n. 20. exclusuè. Quis verò mentis compos in hanc seriem reduxerit verba Pauli. 1. ad Timoth. vltimo. O. Timothæ depositum custodi, deuita prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ. Et 2. ad eundem cap. 2. Prophana autem & inaniloquia, deuita. Quæ ad Gnosticos pertinere, vniuersi patres affir māt: maximè Epiphanius, Hieronymus, & Euchumenius. Quicū magia vteretur, superstitionis, vocabula quædam effinxerant barbara, & vt plurimū nihil significantia. Et non magis illa. 2. ad Timoth. 1. Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Et iterūm. c. 2. Sertum autem domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes: docibilem, patientem, &c. Nam sunt sacræ quædam & necessariæ verborum nouitates, non prophanae: (vt author est Hieronymus in c. 2. Epistolæ ad Ephesios. Nam diuus Paulus nouè dixit, Κοσμοκράτερα & 70. vi. eodē authore, nouiter dixerat. Apocalypsim. Et incarnationis nomen, Latinis nouum

totam: ad quām paucissima cōtrahamus. Religionis medulla, & nucleus, quid dicam medulla nucleus? anima, vita, cor est obedientia: & quid non? Hæc solenni voto concepta, stabilitatem, continentiam, & morum conuerzionem amplectitur. Hæc facit vt tutò professionis nostræ scopum collimemus, & in charitatis perfectionem sedulò contendamus: facit, vt maiorum legibus, votis, atque sanctionibus alacriter obsecundemus: & propositum felicitatis æternæ brauium atque coronam, decurso breuissimo vitæ huius stadio, per Christum perenniter asequamur. Cui laus perpetua, & imperium permanente: in æternum & vltra, Amen.

**

D 2

